

Peter of Trabibus, Commentary on the Sentences (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Liber 2, distinctio 24, circa 3, quaestio 2. (fol. 30ra)

Utrum voluntas naturalis et deliberativa sint duae vel una?

Secundo quaeritur, utrum voluntas naturalis et deliberativa sint duae vel una? Et videtur quod sint diversa, quia illae potentiae sunt diversa quarum sunt diversi actus. Sed actus harum potentiarum sunt huius. Probatio minoris patet, quia actus deliberativae non est determinatum solum ad unam partem, sicut actus voluntatis naturalis, quasi sicut mutabile et immutabile.

Item, sicut se habet principium in speculativis, sic finis in operativis, *II Physicorum*.² Sed cognitio principiorum est alterius potentiae, scilicet intellectus, quam sit cognitio conclusionis, quia hanc apprehendit ratio. Et sic erit in fine et in hiis quae sunt ad finem, quia finem apprehendit voluntas naturalis, et ea quae sunt ad finem deliberativa.

Contra, diversarum potentiarum oportet esse diversa obiecta formalia. Sed utriusque voluntatis non est nisi bonum, quod est unum obiectum. Ergo illae non sunt diverse, ergo eadem.

Respondeo,

dicendum, quod secundum Anselmum, *De concordia capitulum XXIII*,³ voluntas tripliciter accipitur, quia uno modo dicitur <in>strumentum sive potentia volitiva. Secundo modo dicitur affectio

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. I would like to thank Annemieke Verboon, who has helped me to improve the transcription. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Peter of Trabibus, *Lectura* lib. 2, d. 24, c. 3, q. 2, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Aristoteles, *Physica* II.9, 200a-200b.

³ Anselmus Cantuariensis, *De concordia* lib. 2, q. 3.

<in>strumenti, sicut dicimus esse aliquem etiam dormientem bonae voluntatis. Tertio modo dicitur usus, ut quando voluntas actu fertur super aliquod bonum, quae dicitur etiam volitio. Si primo modo accipiamus, cum illa sit ultima et completiva forma animae rationalis, nullo modo potest plurificari in eodem supposito. Et ideo illa divisio voluntas per naturalem et deliberativam nullo modo potest cadere supra voluntatem, quae dicitur <in>strumentum.

Unde illa divisio solum cadit supra voluntatem acceptam duobus modis ultimis. Et ideo non est voluntatis, quae est instrumentum secundum se, sed in comparatione ad affectionem et usum, quae possunt in eodem supposito plurificari.

Modus autem plurificandi est secundum modum apprehendendi, nam omnis appetitus tam rationalis quam sensitivus sequitur apprehensionem. Apprehensibilia autem sunt <30rb> in duplici differentia, tam in bonis quam in malis, quia aliquae sunt a parte bona et aliquae a parte mala. Et quia talia ratio apprehendit sine discursu, ideo talia dicimus apprehendere naturaliter, ut velle esse beatum, et nolle esse miserum. Et respectu talium dicitur voluntas naturalis. Aliquae vero sunt minus apparentia bona vel mala, et ideo ratio non ita scit cito discernere, nisi deliberet et discurrat, utrum eligat vel respuat. Et respectu talium dicitur voluntas deliberativa.

Et sic patet responsio ad quaestionem, quod appetitus, qui sequitur apprehensionem per se notae bonitatis vel malitiae, dicitur naturalis voluntas, eo quod ille est necessarius, et uno modo se habens. Appetitus autem, qui sequitur apprehensionem boni vel mali non per se noti, sed per rationem discussi, dicitur deliberativa voluntas.

Ad primum argumentum, dicendum, quod actus talis naturalis voluntatis non est magis determinatur quam alius actus deliberativae ratione sui, sed per comparationem ad certius obiectum.

Ad secundum, dicendum, quod eadem est potentia apprehendens principia et conclusionem. Sed sicut sunt diversa cognoscibilia in gradu se habentia, ita dicuntur, quia quando per se nota sunt, accipit ea intellectus subito, et tunc retinet sibi solum nomen intellectus. Sed quando non est per se notum cognoscibile, accipit ratio cum inquisitione rationis. Et ideo ille idem intellectus dicitur ratio.

Aliqui autem dicunt, quod ratio et intellectus bene sunt diversae potentiae, et convenit eis secundum se ista diversitas apprehendendi et non a parte obiecti. Sed sic non est in voluntate, quia non est in ea nisi prout accipit ab alia potentia, scilicet ab intellectu et ratione. Sed actus, qui venit ab alia potentia, non diversificat aliam potentiam.